

*es del coll<sup>o</sup> de la Comp<sup>nia</sup> de J<sup>es</sup>*

# Moses Latinus

EX HEBRAEO FACTVS: ET  
in eundem Præfatio, qua multi-  
plex eius doctrina ostenditur: &  
Annotationes, in quibus trans-  
lationis ratio, sicubi opus est, red-  
ditur, & loci difficiliore  
explicantur.

PER ~~SEBASTIANUM CARTAGONEM~~

*Sebastianum Cartagonem.*

*Libreria*

Videbis, lector, Mosem nunc demum & latine  
loquentem, & aperte.

*Cap. 19. num. 8.*

BASILEAE.

614523875



IN MOSEM PRAE-  
FATIO.



QVONIAM sunt, qui uerborum  
rerumq; ornamenta atq; lumina  
in sacris literis desiderēt: alij con-  
trā, qui hęc omnia tanquam pro-  
fana, ab horum scriptorum sacra-  
rio excludant: uolo unius Mosis diuinā perfectāq;  
in omni genere disciplinarum eruditionem paulo  
altius repetere, ut cum apparuerit hunc ita sacra  
tractauisse, ut tamen in his quoq;, quę profana uo-  
cant, sit uel singularis, desinant & illi tam ieiunas  
putare sacras literas, et hi tam excellentes scripto-  
res extra humanorum (ut uocant) literarū quasi  
ciuitatem relegare: fateanturq; omnes omnia, quę  
mortalibus à Deo tribuuntur, ad Dei gloriam atq;  
laudes referri & solere & debere. Neq; uerò mihi  
tantum tribuo, me ut putem hoc opus pro digni-  
tate tractare, aut scriptoris huius orationis & sen-  
tentiarū opes, & diuitias, dicendo explicare posse.  
Sed quemadmodum David ex huius aspectabilis to-  
tius orbis opificij contemplatione, ad eius auctoris  
Dei maiestatem prædicandam sese extollit, quam ta-  
men uix, & conuiuentibus oculis, tanquam solem,  
intuetur: sic mihi uisum est horū, quę in Mose mi-  
nima, in profanorum literis habentur maxima, ima-  
ginem quandam ob oculos utcunq; proponere, ut  
ex paucis multa, ex humilibus, humanisq; celestia,  
& diuināq;

1  
Egredia Comp<sup>a</sup> de Bedesala

# GENESIS.

## CAPVT I.



**P**incipio creauit Deus coelum et terram. Cum autem esset terra summersa atque rudis, tenebrisque obductum pro <sup>Mundi creatio.</sup> fundum, et diuinus spiritus sese super aquas libraret, iussit Deus ut existeret lux, et extitit lux: quam cum uideret Deus esse bonam, lucem secreuit a tenebris, et lucem diem, et tenebras noctem appellauit. Ita extitit ex uespere et mane dies primus.

Deinde iussit Deus ut existeret liquidum inter aquas, quod aquam ab aqua disiungeret: fecitque liquidum quod diuideret aquam quae super liquidum est, ab ea quae subter est. Quo facto, liquidum coelum nuncupauit: ita extitit ex uespere et mane dies secundus.

Deinde iussit, ut aqua quae sub coelo esset, unum in locum confluere, ut appareret siccum. Quo facto, siccum Terram nominauit, et aquae affluentiam Mare. Eamque rem bonam esse animaduertens, iussit ut pareret terra stirpes, herbas frugiferas, et arbores fructiferas, quae suo quaeque in genere fructum ederent, et in quibus suum semen inesset in terris. Atque ita factum est: ediditque terra stirpes, id est herbarum frugiferarum et arborum fructiferarum genera, in quibus suum semen inesset. Quam etiam rem bonam esse animaduertit: ita extitit ex uespere et mane dies tertius.



Israelitis adsit, eorumq; hostibus exactis eos in tuto collocet, efficiatq; ut Iacobus oculū adijciat ad terram feracem, id est terram feracem uideat, et ea potiatur (nam Videre pro potiri, etiam antea annotauimus.) Felix Israelitarum populus, & planē incomparabilis, qui talem habeas defensorem Iouā, qui est tui fastigij gladius: id est, qui te suo praesidio in istud fastigium & dignitatem euexit, ut tibi subiiciantur hostes tui. Verbum Hebraeum est **יָצְחוּ**, quod Graecè bene exponi potest *σφαιροσύναι*, succumbent inuiti.

Quae sequuntur de Mosis interitu, à Mose scripta nō esse, ex eo patet, quod dicitur neminem eius sepulchrum haecenus sciuisse: quae uerba sunt postea scribentis. Sed ut plena esset, & absoluta Mosis historia, adiecta sunt à posteris: sicuti uidemus Lucani poesim, et Plauti Aululariā ab alijs esse finita.

ANNOTATIONVM FINIS.

B E R R A T A.

Pagina 3. uersu 21. lege institerat 16. 12. adhibetote 18: 17. Sabā. 24. 1. 19. Sannaræ, Ariochum 29. Sauē. 131. 14. uobis 139. 1. ad manum 150. 1. habuissent 151. 6. pacatus 165. 28. scapi 179. 13. Beselelem. 180. 25. in aures aur. & 26. in aures cuncti 204. 18. flagrantiae 217. 29. circumfudit 245. 26. ne permetito 249. 29. moriuntor 529. 5. abducat 292. 25. anima, arc. 394. 9. Oryge, camelopardali 436. 15. illa occis. 16. hunc hostis 454. 2. aduentum 455. 26. librariis 508. 1. subcaua. 512. 19. **אָהַר פָּרַסָה בְּפָרַסָה** 521. 13.

B A S I L E A E, E X O F F I C I N A

Ioannis Oporini, Anno Salutis M. D.

X L V I. Mense Augusto,